



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Attico Constantinopolitani Episcopo, & quibus moribus praeditus erat.  
Cap. II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

SOCRATIS  
SCHOLASTICI HI-  
STORIAE ECCLE-  
SIASTICAE,

Liber Septimus.

*Quòd post Imperatoris Arcadij obitum relicto  
annorum octo filio eius Theodosio, Anthemius  
Præfectus imperij administrationem suscepit.*

CAPVT I.



ORTVO igitur Imperatore Arca-  
dio, Calend. Maij. Basso, & Philippo  
Coss, Honorius eius frater, partium  
versus occidentem suscepit governa-  
cula: Theodosius iunior Arcadij fi-  
lius, octo annos natus, partes ad Ori-  
entem sitas rexit, per Anthemium præ-  
fectum, qui summâ rerum pro eo ad-  
ministrabat. Hic Anthemius nepos erat Philippi, qui Pau-  
lum Episcopum, regnante Constantio, expulit ecclesia, Ma-  
cedoniumq; in eius locum substituit. Idem Constantino-  
polim firmis mœnibus circûdedit: vir quidem & visus est,  
& reuera fuit, hominum id temporis facillè prudentissimus,  
nihilq; temerè & inconsultò aggressus est: Sed semper de  
rebus gerendis & cum plerisque aliis necessariorum com-  
municauit, & cum Troilo Sophista in primis, qui tum sapi-  
entia, quæ in ipsius animo insita erat, tum singulari rerum  
civilium prudentia, Anthemio nihilo fuit inferior: ob  
eamq; causam Anthemius in omnibus ferè negociis susci-  
piendis illo consiliario vsus est.

*De Attico Constantinopolitano Episcopo, & qui-  
bus moribus præditus erat.*

CAP. II.

Impe-



**I**mperatore Theodosio octauum iam ætatis suæ annum agente, Atticus triennio Episcopatum Constantinopolitanum cum maxima laude procurauerat: Vir, vt supra demonstrauius, doctrina mediocri, sed pietate & prudentia eximius. Quamobrem Ecclesiæ, eius temporibus magnopere fuerunt amplificatæ. Nam non modò suæ ipsius fidei fautores cõcordia deuinxit, verum etiam hæreticos sua obtupescit prudentia: quibus certè nihil voluit exhibere molestiæ ille quidem, sed vbi eos perterrefecerat, rursus se erga illos mansuetum & facilem declarauit. Quinetiam neque doctrinæ studio neglexit: quippe in veterum scriptorum monumētis euoluendis multum operæ posuit, inq; eisdem magnam noctis partem contriuit, & propterea neq; Philosophorum neque Sophistarum argutiis capi, & obtupesceri potuit, & propterea neque à Philosophis, neq; à Sophistis barbarus, & in sermone rudis habitus est. His, qui cum eo in colloquium veniebant, vrbani, & blandus: qui autem erant affecti mœstitia, cū illis condolere visus est. Ne multis: omnia, vt est apud Apostolum, omnibus factus. Primum, cum presbyterij gradum obtinuisset, conciones, quas summo studio confecerat, ad verbum ediscens, in ecclesia recitauit. Postea crebro vsu & diligentia maiorem audaciam adeptus, ex tempore concionari cœpit, rationemq; docendi magis popularem secutus est. Verùm eius conciones non eius generis fuere, vt meritò vel ab auditoribus studiose perdicerentur, vel monumentis mandarentur literarum ad posteritatem. Sed de eius natura, moribus, doctrina denique satis superq; videmur disseruisse. Iam verò ad res eius temporibus gestas, quæ sunt dignæ hominū memoria, explicandas veniamus:

1. Cor. 9.

*De Theodosio & Agapeto, qui Synadis Episcopatum gerebant.*

C A P. III.

**T**heodosius quidam Synadum, vrbis Phrygiæ Pacatianæ Episcopus, hæreticos (in ea namque vrbe complures erant ex secta Macedonianorum) grauiter persecutus est, eosq; non modò è ciuitate, verum etiam ex a-

x 5 gris